DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

AMAUROSI.

AUCTORE DUGALDO MACKELLAR.

DE HISTORIA.

Ex omnibus morbis, quibus oculus est proclivis, nullus illo, quem pro argumento hujus disputationis selegi, magis sibi attentionem medici vindicat; sive in memoria tenemus terminationem morbi saepe infaustam, frequentiam ejus, vel munus praeclarum organi, quo situs est; in cujus fabrica molli, ex membranis, tunicis, et humoribus,

ad varios suos usus exquisite accommodatis, vitium acutissime sentitur.

Nervus opticus intra oculum profunde expansus ad retinam formandam, tunicam ejus intimam, in sano statu impressiones stimulorum vel causis externis vel internis inductorum, facillime recipit; et fortasse corporis humani nulla pars existit, quae ex effectu malorum minus se recuperare pollet, quàm illa, de qua nunc agitur. Nihil mirum est, quòd malo sua natura adeo gravi obnoxia sit, eventus cujus saepius aegrum uno ex maximis solatiis privat, quae natura homini condonavit.

Nomen Amaurosis morbo oculi deditum est, ubi visus partim, vel prorsus, aboletur, et qui a statu paralytico retinae, et nervi optici, pendet. Quàm frequenter accidit omni medico notum est, et plurimos experientia doctos, omnia auxilia scientiae et artis frustra exhibita esse, confiteri oportet. Doctor

FARRE in negotium plurimum exercendo, paucos annos antea, multum laborem ad certe cognoscendum, quot casus se prodiderunt, impendit, et exitus observationum fuit, ut ex ter millibus aegris, quos videndi morbis oculi laborantes ei fuit occasio, non pauciores, quàm ducenti Amaurosi impliciti, reperti sunt; ratione scilicet unius ad quindecim.

DE SPECIEBUS.

AD visum perfectum reddendum, et nervum opticum, et quidem totum organum apte sustentandum, quaedam plenitudo vasorum, quae oculo sanguinem vehunt, necessaria est. Hunc morbum ex duabus conditionibus longe diversis systematis sanguiferi, plenitudine nimirùm nimiâ, aut depletione, oriri reperimus.

Nosologi Amaurosin in diversas species, secundum diversas causas morbi, vel varias formas, quas induit, plerumque diviserunt. Doctor CULLEN, cultor indefatigandus scientiae medicinae, et cujus memoriae reverentia summa debetur, quatuor species morbi, nimirum, Amaurosin compressionis, Amaurosin depletionis, Amaurosin spasmodicam, Amaurosin venenatam recensuit. Duae priores longe sunt frequentissimae.

SCARPA Amaurosin divisit in *Perfectam* vel *Completam*, in qua adest insensibilitas retinae perfecta ad impressiones lucis; et in *Imperfectam* vel *Incompletam*, in qua visus non prorsus aboletur, sed aeger lucem ex tenebris distinguere, vel etiam res, quamvis obscure, videre, potest: in *Recentem* vel *Inveteratam*, prout morbus per longum vel breve tempus extiterat, aut tarde aut subito aggressus erat: et quoque in *Continuam* vel *Periodicam* distinguitur, prout morbus intervallis fixis tantum invadit; vel formam, in qua nulla est intermissio, induit.

DE SIGNIS.

Amaurosis, vel Gutta Serena, ut interdum nominatur, est morbus, signa cujus maxime sunt abnormia et fallacia. Reverà vix unum signum constanter cum eo connexum existit, quod diagnosin difficillimam reddit: nam oculus saepe, quasi nullam mutationem quod ad aspectum naturalem subiit, apparet, pupillâ naturali stimulo lucis parente; et nullum indicium morbi existentis nisi ex historia, quam aeger ipse tradit, habemus.

Amaurosis plerumque utrosque oculos eodem tempore afficit; aliquando tamen alter oculus prae altero laborat; sed hac conditio brevi manet; nam cito post, oculus sanus hebescere incipit; et ut morbus unum oculum afficiat, raro accidit, quoniam alter non cum eo consensum habeat.

In Amaurosi ex congestione, plurima symptomata impetum antecedunt, ut dolor capitis frequens, praesertim sensus molestiae et gravitatis super palpebras; vultus floridus cum impetu sanguinis evidente ad caput versus; vertigo; vel tinnitus aurium; connexus idearum confusus, simul cum balbutione, et caetera. Omnia haec signa non eodem tempore adsint; plerumque nonnulla ex iis tantum observamus: et interdum fit morbum tam subito invadere, ut nullum signum omnino ipsius advenientis, ostendat.

Aliquamdiu ante impetum aeger ventriculum et alvum turbatam sentit; duplicem fortasse visum habet; vel mistura abnormis rerum ante oculos volitat, ut SCHMUCKERO videtur ex conditione varicosa tunicae choroideae, aliquid pressurae in filamenta tenuia retinae efficiente, oriens.

Postquam haec signa diutius, vel brevius mansissent, quae tamen, ut supra observa-

tum est, ad morbum non prorsus necessaria sunt, aeger sentire visum nunc gradatim, nunc subito sibi deficere, incipit. Quasi telam reticulatam prae oculis obductam aliquando cernit; vel nigras maculas, muscas referentes, semper ante se volitantes, videt, quas tollere frustra conatur. Morbo progrediente, indicia visûs obtusi quotidie ingravescunt; impressiones lucis in retinam vix percipiuntur, vel prorsus pereunt. Interdum tamen adeo celerrimus est progressus, ut Amaurosis omnino immedicabilis sit, viginti quatuor horas post ejus primam accessionem.

Imo oculi affecti inspecto, pupillam exhibentem illam lucidam nigritiem, in oculo sano adeo conspicuam, raro videmus; sed aliquid palloris, vel nigritiem imprimis hebetem, perlucidam, corneam quasi speciem, quae mutationem incipientem structurae in retina, denotat. Alias, nebula densa subalbida videtur posteriorem partem oculi occupare, quae saepe pro cataracta incipi-

ente habeatur: vel pupilla subviridem vel subflavum colorem induit, quod maxime infaustum est, ex substantia retinae mutata, et nunc recipiendi impressiones radiorum lucis incapace, orientem.

Pupilla plus solita dilatata esse observatur; et iris nullam facultatem contrahendi, luce vividâ oculum impingente, exhibet. Sed, quamvis hoc sit signum frequentissimum quod pupilla indicat, huic non semper oportet fidere; nam in pluribus exemplis non tantum sit magnitudinis idoneae atque naturalis; liberum tamen motum perficere potest. Imo, Richterus dicit, ut in quibusdam casibus perfectissimae Amaurosis, ubi radius nullus lucis ab aegro percipi potuit, iris praeter solitum mobilis fuit, eo usque ut in luce modica ferè pupillam clauderet. Alias, pupilla maxime contrahitur, vel aliter forma irregulari est, praesertim si organi inflammatio interna antecedat; et alias, adeo dilatatur, ut iris prorsus deesse videatur.

E variis conditionibus in quibus pupilla in diversis amauroticis reperitur, ullas certas ponere conclusiones, quibus fundamentum jaciamus, quod ad naturam accuratam morbi, non nobis licet. Cum tamen pupillam dilatatam frequentius adesse reperimus, hac cum aliis signis morbi conjuncta, diagnosin nostram multum adjuvabit.

Si vasa conjunctivae inspiciamus, ea fere semper varicosa cum truncis nodosis et ramulis tortuosis inveniemus; et si attente perscrutemur, globum oculi coloris subcaerulei, vel rarius subflavi, subinde conspicere possumus.

Dolor profundus in globo, cum sensu molesto tensionis, qui aegrum plurimum vexat, sentitur.

Dignum est notatu, quod si morbus non adeo ingravesceret, ut vim distinguendi res tolleret, aeger aliquid directe ante se non

tam bene videre potest, quàm si paululum obliquum situm fuerit, Amaurosi fortasse centrum retinae primo afficiente: hinc aeger quandem obliquitatem visûs acquirit, a Domino Hey de Leeds praesertim observatam, et intuitus adeo insolitus et insignis est, ut vix ex memoria labi potest; et haec unum ex symptomatis optime notatis morbi, constituit. Alia res interdum observatur; aeger, si visus sinit, literas libri magis distinctas, postquam aliquandiu inspexit, quàm ad initium, videt.

Aliquid insoliti in vultu aegri Amaurosi impliciti apparet; quoddam gravitatis et hebetudinis circa palpebram superiorem et supercilium; et quidem, totus aspectus timidus est et infirmus.

DE CAUSIS.

Amaurosis adultae aetati plerumque peculiaris est; et quamvis eam in junioribus, et etiam in infantibus aliquando inveniamus, tamen in illis ex morbis sensorii, vel ex mutatione organica substantiae in cerebro ipso, vel tumoribus prope originem nervorum opticorum sitis, fere semper pendere videtur.

Causae quae morbum inducunt maximè sunt variae, et in tres classes praecipuas aptissimè dividi possunt. 1*mo*, Illas, quae inducendo statum plethoricum systematis, imprimis capitis agunt. 2*do*, Illas, quae statum debilitatum systematis generaliter, et oculi speciatim, inducunt; et 3*tio*, Illas, quae rectè vel indirectè nervum opticum ipsum afficiunt.

1*mo*, In prima classe omnia varia, quae

ortum fluxui sanguinis caput versus praebeant, pro causis excitantibus habentur; nimirum, exercitatio violens, ut cursus, luctatio, gravium ponderum portatio, &c.; usus frequens liquorum spirituosorum et fermentatorum; longa corporis inclinatio; expositio corporis ad calorem vehementem, vel capitis imprimis ad radios directos solis; rapidi transitus e calore ad frigus; et pathemata mentis violenta; solita effusio sanguinis suppressa, ut catameniae vel haemorrhoidum; et, denique, mulieres gravidae per aliquot menses ante partum caeci aliquando fiunt, sed hae visûs, quam primum partus editur, vires recuperant.

Exempla Amaurosis saepe notantur, quae statim ictus violentes capitis secuta sunt; concussione subitâ quantitatem sanguinis praetersolitam in cerebrum immittente, unde vasa oculi adeo distendantur, ut pressuram periculosam in nervum opticum et retinam faciant.

Capite dimisso per breve tempus, reditus sanguinis per venas impeditur, distentio igitur vasorum intra oculum sequitur, et cum oculos tollemus, omnes res nigris maculis notatas videmus, quae paulatim evanescunt, vasis diametra solita recuperantibus. Sic cum status plethoricus diu mansisset, ictus lethalis ipsi basi, qua visus perfectus nititur, offertur.

Inter mala cum inflammatione violenta visus fit obtusus, vel ex toto abolitus, quod morbum comitatur, et postea in Amaurosin desinit; sic synochum vel ophthalmiam profundam saepe sequitur.

2do, Inter sanguinem mittendum post vasa se maximè deplêrunt, hominem linqui animo, et se caecum esse clamat, saepe observatur. Ex hoc principio divisio secunda signorum pendet. Vasa sua plenitudine privata, non amplius nervos visûs sustentant, ut oportet, et Amaurosis temporaria inducitur.

Priorem speciem morbi, nimirum, Amaurosin Congestionis, illis habitu corporis robusto praeditis, et qui intemperantiae dediti erant, accidere reperimus; sic in hac specie illos imprimis, quorum constitutiones morbis praegressis vel inediâ confectae sunt, aggreditur: et omnes causas, quae debilitatem systematis generatim vel oculi in primo inducant, statum amauroticum gignere conspirare, videmus. Unde exinanitiones profusas omnis generis haud raro sequatur; sed prae omnibus venerem immodicam vel prematuram. Ex longis alvi fluxibus, ex sanguinis profluviis, vel ex sequela febrium longarum, quoque oritur.

Vires oculi modo locali exhauriri possunt, imprimis nimio stimulo lucis, res minutas vel splendidissimas inspiciendo. Non saepe accidit ut reflectio vividi fulminis homini statim visum eripit? Si solem aliquandiu spectemus, spectrum ejus in quodcunque oculos vertamus, videbimus; et si ad illum pergi-

mus oculos nostros infigere, caecitas perfecta ex nimio stimulo oritur. Sic morbus frequens inter artifices horologiorum est, et illos corpora splendida attente spectantes, ut astronomos. Morbus in talibus aegris, altero oculo clauso promovetur; pupilla dilatatur, et altera per consensum cum illa expanditur.

3tio, Ad tertiam classem causarum, omnes illas irritationes vel in organis concoctionis existentes, vel localiter et mechanicè oculum ipsum vel illas partes cum eo nexas, afficientes, referendum est.

Inter caput et organa concoctionis consensum notabilem subesse, nemo negabit; nam hoc quotidie in injuriis capitis, quibus accedunt affectiones ventriculi, manifestum videmus; et nonnulli suppurationem hepatis, ictum violentem capiti illatum, secutam esse affirmant. Quomodo communicatio afficiatur, vel consensus constituatur, adhuc ra-

tio reddenda est ; sed quocunque modo fiat, res ipsa certissima est, quod in praesens consilium sufficiat. Hoc quoque notandum est, excitationem vel irritationem morbidam in organis digestioni propriis nervosam debilitatem, cujus oculi participes sunt, plerumque comitari.

Nonnulli quasdam res narcoticas in ventriculo sumendo, ut digitalem purpuream, daturam strammonium, &c. vel etiam quod devoratum acesceat, pro tempore caeci fiunt.

Plurimae causae, veluti corpora extranea in alveolo oculi sita, exostosis ossium orbitam constituentium, substantiae globum oculi penetrantes, contusio vel laceratio violenta nervi supra orbitalis, et denique effusiones et tumores juxta originem nervorum opticorum siti, mechanicè agunt, atque Amaurosin movent.

DE DIAGNOSI.

Exempla fuerunt, in quibus curantes magni nominis quod ad naturam mali erraverunt. Unus morbus praesertim existit, qui Amaurosin maximè simulat; et revera, ut mihi videtur, morbus unicus est de quo errari potest. Attentione tamen paucis rebus adhibitâ, discrimen satis evidens evadet: Cataracta nimirùm incipiens, cùm opacitas in posteriore parte lentis vel capsulae ejus incipiat.

In Cataracta simplici nebulae visum minuunt, vel obstruunt, rebus quasi in tenebris; aeger in crepusculo quam in vivido lumine, propter pupillam magis dilatatam in lumine obscuro, et quosdam radios per marginem lentis transmittentem, meliorem habet visum. Contra, in Amaurosi visus obtusus maculis nigris comitatur, et nubecula

non semper adest; quo magis etiam pupilla dilatatur, eo confusior fit visus.

In Cataracta vitium plerumque opacitate subalbidâ jam ponè pupillam sitâ declaratur; et hâc dilatatâ, annulus seu circulus niger circa marginem lentis distinctè videri potest, et iris impressionibus lucis maximè paret. In Amaurosi nubecula est profunda, ad imum oculum sita, et plerumque corneam subviridem speciem exhibet: iris ferè immota est, et annulus niger nunquam conspiciendus.

DE PROGNOSI.

In prognosin instituendo omnia signa morbi cautè sunt observanda et consideranda, ut judicium accuratum de eventu probabili formetur.

Haec sunt quae terminationem infaustam indicant. Quum senibus incidit, tardus in progressu est, et per plurimos annos perstat; ima pars oculi subviridem speciem induit; pupillae forma irregularis et immobilis est; cùm dolor capitis et sensus stricturae globi oculi adsunt, vel si sequela sit ophthalmiarum internarum gravium, quae diu constiterunt; cùm figura totius globi mutatur; cùm excitatio violens generis nervosi praegressa est; cùm, ictibus capiti illatis, vel oculo ipsi, cum contusione vel laceratione nervi supra orbitalis; et denique, cùm ab exostosi orbiti originem trahit.

Amaurosis perfecta et inveterata cum turbatione globi, Scarpa judicè, prorsus est insanabilis.

Cùm morbus est generis imperfecti absque ulla corruptione organi visûs, retinâ nonnihil impressionibus lucis affectâ, morbum faustè eventurum esse licet nobis inferre. Quo-

que, si subito invasit, et frontis nullo dolore acuto vel tensione globi; si pupilla formâ regulari est, et ima pars oculi colore nigerrimo; si ex plethora vel irritationibus ventriculum et alvum afficientibus; vel si sequela sit exinanitionum profusarum; et denique, si aeger non admodum annis provectus, et morbus periodicè redire consuevit, omnia haec finem faustam promittunt.

DE RATIONE MEDENDI.

E consensu et progressu mali, hoc esse talis naturae, ut visus serius citiusve prorsus pereundus est, nisi solertiâ medici progressui morbi occurratur, percipimus. Ad hoc perficiendum, signis quae impetum mali praegressa sint, et variis causis quae morbum inducere conspirassent, attentionem adhibere oportet. Ad tollendas causas evidentes, primum consilium curationis est; quam-

vis causa sublata est, visus tamen non semper restituitur; hoc procul dubio conditioni torpidae, in qua nervi fuerunt, tribuendum.

Ut nulla ratio est actionem vasorum sanguiferum minuendi, quae tantas vires habet, quàm venaesectio; sic cùm morbus de plenitudine vasorum capitis pendet, nullo remedio pares vires insunt, vel modo generali, vel locali adhibito.

Post missionem sanguinis generalem fusè institutam, ad cucurbitulas cum ferro, aut hirudines temporibus vel posteriori parti cervicis admotas, vel fonticulum perpetuum inter humeros, confugere possumus: alvus aegri interea laxa, ope cujusdam cathartici lenis, servanda est. Si sit sequela catameniorum vel haemorrhoidum suppressarum, hirudines ad labia pudendi, vel perinaeum, simul cum pediluvio, admovere oportet.

Quum contra, ex irritabilitate nervosâ ori-

maurosi de plethora pendente, post usum lanceolae, multo commodo praescriptum est; et cùm de nimio stimulo nervi optici et retinae, vel ubi nulla causa morbi inducti reddi potest, effectus boni *hydrargyri* manifestissimi sunt.

Hoc medicamentum aestimandum haud adeo validum si detur in tam magna quantitate ut salivationem inducat, quàm in dosibus parvis exhibitum esse, videtur; et potius pro effectu *alterativo* quam *mercuriali*. Grana quinque pilulae caeruleae singulis noctibus, vel etiam omni alterâ nocte, ad morbum eradicandum, plerumque sufficient.

Hydrargyrum, qui adeo utilis repertus est, multo saepius in curatione hujus morbi praescriptum iri, sperandum est: et nihil dubii, quin idem eventus felix, qui jam eum comitabatur, eum in perpetuum secuturus sit, mihi restat.

FINIS.